

ut in leg. *Non est novum.* ff. de *Action. empr.* & in leg. *Duo societatem.* ff. Pro socio, & in leg. *Si mandavero tibi,* la 2. §. *Interdum.* ff. *Mandat.* & notatur per DD. in leg. *Qui bis.* ff. de *Verborum obligation.* modò tituli vel causæ concurrant ex post facto, scilicet post adeptam possessionem; ut si eam primò habui ex una causa vel titulo, & postea acquirò ex alia, verb. grat. si emi rem à Titio, & accepi possessionem, & cum non esset dominus, postea emi ab alio similiter non domino; vel quolibet alio titulo lucrativo vel oneroso habui rem à pluribus non dominis; nam certè possideo ex utroque titulo & causa: Et idem est, si defunctus habuit rem à Titio titulo particulari, & ego postea successi ex testamento vel ab intestato huic defuncto: nam possideo ex illo primævo titulo particulari, & similiter ex secundo titulo universalis *pro hærede:* ita expressè probat text. in *dist.* §. *Ex pluribus:* Quod tamen intellige, quando post acquisitam possessionem ex una causa supervenit altera ante dominium quæsitum ex prima; quia tunc utraque causa & titulus valet, & ex utraque causa & titulo possum possidere: secus tamen esset, si ex primo titulo & causa, & ex prima acquisitione possessionis esset mihi plenè quæsitum dominium; ut quia tradens esset dominus, & postea superveniat mihi titulus vel causa ab eodem vel ab alio tertio: tunc non possideo ex ista secunda causa vel titulo, quia censetur ipso jure nulla & inutilis: & idem est si habui rem à non domino, & mihi fuit facta traditio, & acquisivi dominium mediante usucapione vel præscriptione, & postea supervenit mihi titulus ab eodem vel ab alio; nam tunc etiam non possideo ex tali causa secunda vel titulo, quia reputatur inutilis: Idem etiam est, si ex prima causa vel titulo habui rem à non domino, & postea ex secunda causa vel titulo habui eandem rem à vero domino; nam jam desino habere possessionem ex prima causa, & tantùm habeo ex secunda, tamquam plena & perfectà: quia his casibus videtur cessare ratio per quam potest haberi possessio ex pluribus causis. Et apertè ista omnia videtur probare text. in *dist.* §. *Ex pluribus, in exemplis suis,* si rectè inspiciatur, & magis in expressò istam conclusionem & declarationem probat text. in leg. *Cum res,* Cod. de *Contrahen. empr.* ubi dicit text. quòd si habui rem & dominium ejus ex titulo donationis ab aliquo, & postea eandem rem emi ab hærede, quòd etiam respectu possessionis ille titulus secundus est nullus, & per eum nihil videor acquirere, cum rei propriæ non teneat emptio, ut in leg. *Res.* ff. de *Contrahen. emption. cum similib.* & in ex-

pressò ita declarat Bartol. in *dist.* §. *Ex pluribus,* 1. column. & 1. oppos. singulariter & meliùs quam alius, Paul. de Castr. 1. column. post principium, & 2. column. in med. Imol. 2. column. in med. Roman. 1. column. prope fin. versic. & ratio quare. Cuman. Alexand. 2. column. num. 4. idem 2. column. Alexand. notab. penult. num. column. 20. Jas. 3. column. num. 9.

Et si quæras, quis effectus resultet ex eo quòd possideat quis ex pluribus causis, vel non? dico, quòd effectus est quo ad præscriptionem & usucapionem; quia si possidet ex pluribus causis vel titulis, & superveniat mala fides in una, sed non in alia, procedat præscriptio vel usucapio ex illa ex qua habet bonam fidem: ita determinat Joan. de Imol. in *dist.* §. *Ex pluribus, in princip.* Alexand. 5. column. n. 12. Jas. 3. col. num. 11. Secundus effectus potest esse in remedio Publicianæ, quod competeret ex utraque causa & titulo; unde sententia definitiva lata in uno judicio non pareret exceptionem rei judicatæ in alio. Tertius effectus est, quia pro tali possessione quæsita ex utraque causa & titulo competere remedia possessoria; unde, si lapsu temporis, vel alio quovis casu possessor sit exclusus à remedio possessorio ratione unius possessionis, non excluditur ab alio remedio ratione alterius possessionis. Nec obstat si subtiliter dicas, quòd ex inutili causa & contractu transit possessio, cum in ejus acquisitione requiratur causa, ut in leg. 1. §. *Si vir uxori.* ff. de *Acquirend. possession.* & supra latè dictum est: Quia subtiliter respondeo, quòd ex inutili causa & contractu non acquirò possessionem, quando illam non habeam ex alia causa vel contractu utili & valido: secus tamen est, si illam semel habeam ex causa vel contractu valido & perfectò; quia tunc non possum eam iterum re acquirere ex alia inutili causa vel contractu: & istam subtilem & novam solutionem ponit Alexand. in *dist.* §. *Ex pluribus, penultim. column. num. 2.*

Dominium verò nullo modo potest quæri 98 ex pluribus causis: text. est in *dist.* §. *Ex pluribus, in fin.* ibi: *Nec enim sicut dominium non potest nisi ex una causa contingere, &c.* & ad hoc notat ibi Bartol. & communiter DD. text. in leg. *Non ut ex pluribus.* ff. de *Regul. jur.* text. in leg. 2. Cod. de *Vindict. libertat.* text. in leg. *Sequitur.* §. *Laxa.* ff. de *Usucap.* text. in leg. 2. Cod. in quibus causis cessat longi tempor. *præscript.* text. in leg. *Et an eandem.* §. *Actiones, in fin.* ff. de *Excep. rei judic.* Et ratio vera & mentalis est, quia dominium, vel jus perfectè & consummatè jam quæsitum, non potest perfectionem vel aliquod incrementum recipere, nec potest mul-

multiplicari: unde, eodem modo non possunt multiplicari causæ vel tituli; quia cum sint ordinariæ ad acquisitionem domini; hoc effectu jam secuto ex una causa, alia esset inutilis; cum ars & natura nihil operentur frustra, ut in leg. *Quivis de verbor. obligat.* in leg. *Hac stipulatio.* §. *Divus.* ff. *Ut legat. nom. cav.* in leg. *Non cogendum,* §. *fin. de Procur.* in leg. *Si is à quo,* §. 1. ut in *possess. legat.* & istam rationem ponit Rainer. in *dist.* §. *Ex pluribus in fin. num. 5.* & ibi Albert. 3. column. in fin. Angel. de Perus. 1. column. Paul. penultim. column. in fin. Imol. 2. column. in medio, Aret. 4. column. in medio, Alexand. 5. column. num. 12. Jas. 4. col. n. 14. Vincent. 6. column. n. 13. & satis est de mente Bartol. in *finalib. verb.* eandem etiam rationem ponit subtiliter Bald. in *dist. leg. 2. Cod. de Vindict. libert.* ubi generaliter dicit, quòd omnis actus de sui natura ultimè perfectus non potest recipere perfectionem vel reiterationem: idem dicit Bald. in leg. *Præcibus, Cod. de Impub. & aliis,* 3. column. num. 11. ubi dicit, quòd actus semel perfectus non potest recipere novam formam dispositivam: Confirmatur etiam ex sententia Aristot. 2. *Ethicorum* dicentis, quòd perfectum est cui nihil addi vel auferri potest, & ejusdem, 5. *Metaphysic.* dicentis: *perfectum est quod consequutum est suum finem, & nullam aliam requirit perfectionem,* & ejusdem 1. de *Cælo,* dicentis: *perfectum est quod complementum & finem habet eorum quæ illi pertinent, & nihil aliud possit.* Et quòd dominium sit jus plenissimum rei, probat textus melior de jure in leg. *final. Cod. de Jure domin. imper.* versic. *Sin autem biennium,* ibi: *Plenissimè habeat rem creditor,* & ad hoc notat & considerat Bald. ibi, 2. column. & illum textum ad hoc reputat singularem & unicam Joan. Igneus in leg. 1. §. *Servus* 3. col. 4. ff. *ad Syllan.* similis text. est in leg. *unic. Cod. de Nudo jure Quiritum in fin.* quem ibi notat Bald. & dicit, rarò alibi reperiri: Quòd verò sit plenum jus, est text. in leg. *Generaliter* §. *Sub conditione.* ff. *Qui & à quibus,* text. in leg. *Mater, Cod. ad Tertull.* text. in leg. *Femina.* §. *Illud de secundis nuptiis,* text. in leg. *Si ita stipulatus fuero.* §. *Titius in fin.* ff. de *Verborum obligation.* Confirmatur etiam: quia ille qui dominus est, non potest suam rem stipulari dari, sed tradidit: text. est in leg. *Si rem tradit.* ff. de *Verborum obligat.* text. in leg. *scire debemus,* §. *fin. eodem titul.* text. in leg. *Nemo, rem suam,* la 1. & in leg. *Nemo rem suam,* la 2. eodem titul. text. in leg. *Ubi autem non apparet,* §. *fin. eodem titul.* text. in §. *Sic itaque Instit. de act. cum materia.* Et eodem modo non potest quis emere suam rem: text. in leg. *Suæ rei.* ff. de *Contr. empr. nisi*

Anton. Gomez, ad Legem Taur.

ratione alicujus juris sibi deficientis, ut usufructus, possessionis, vel alterius juris: text. in leg. *Si emprione.* §. *Rei sua,* eodem titul. text. notabilis in leg. *Cum res,* Cod. eodem titul. & utrobique DD. & idem est in legato, vel titulo ultimæ voluntatis; quia legatum rei propriæ mihi factum non valet: text. in leg. *Proprii, Cod. de Legatis,* & ibi communiter DD. cujus ratio est; quia sicut dominium, postquam semel acquisitum est, non potest multiplicari, ita nec tituli qui ordinantur ad ejus acquisitionem, ut supra dictum est.

Advertendum tamen, quòd ista regula & conclusio debent intelligi, quando plures causæ vel tituli concurrunt post dominium semel quæsitum: secus verò, si concurrunt uno & eodem tempore, & si ante dominium; ut si debitor tradat rem creditori suo, quam debebat ex pluribus causis: nam transit dominium ex omnibus causis & titulis: ita probat casus & ibi communis opinio in leg. *In numerationibus.* ff. de *Solut.* text. in leg. *Cum quis.* §. de *Pecul. eodem tit.* text. in leg. *Si creditori,* versic. *Marcellus.* ff. de *Legat.* 1. & in expressò ita tenet Glossa in *dist.* §. *Ex pluribus in glossa fin. in 4. oppos.* & Bartol. ibi 2. column. 4. oppos. Rainer. 1. column. num. 1. Angel. 1. column. in medio. Paulus de Castro notabiliter 2. column. in fin. & Roman. 1. column. & communiter Moderni. Secundò intellige & limita, quando ista causa nova non haberet originem vetustiorum: secus si haberet; quia tunc potius acquirò ex vetustiori: ut si esset mihi res legata sub conditione, qua pendente, hæres vendidit vel donavit mihi eam & tradit, vel hæredem instituat: nam licet ex nova causa & titulo sim factus dominus; tamen, si postea existat conditio primi tituli, & sic legati, statim desino habere dominium ex illa nova causa, & incipio habere ex prima causa & titulo: text. est qui sic debet intelligi in leg. *Fundo legato.* ff. *Ad leg. Fal.* per quam ita tenet ibi Bart. Paul. Imol. Alexand. & communiter DD. & tenet etiam Bartol. in *dist.* §. *Ex pluribus,* 2. column. 5. oppos. Paul. de Castr. penult. column. in princ. & communiter alli DD. Confirmatur, quia quando in una & eadem persona concurrit duplex obligatio, semper prævalet illa quæ est principalior, & majoris potentia, & extinguuntur alia: sed quando utraque esset paræ potentia, utraque remanet: text. est in leg. *Generaliter.* ff. de *Fidejus.* text. in leg. *Cum reus,* eodem tit. text. in leg. *Si reus.* ff. de *Duobus reis,* ubi vide DD.

Similiter est dubium subtile in nostrâ materia, an & quando possessio alicujus rei possit esse

esse penes plures in solidum? In quo articulo resolutivè dico, quòd una & eadem possessio numero, & substantia in eadem re non potest esse penes plures in solidum; & hoc, modò sit naturalis sola, modò civilis sola, modò utraque tam civilis, quàm naturalis: text. est formalis & expressus in leg. 3. §. Ex contrario. ff. de Acquirend. possess. cujus verba sunt: Ex contrario plures eandem rem in solidum possidere non possunt: contra naturam quippe est, cum aliquid ego teneam, tu quoque id tenere videaris, text. in leg. Si ut certo. §. Si duobus vehiculum. ff. Commodat. post princip. ibi: Et ait duorum quidem in solidum dominium, vel possessionem esse non posse, text. in leg. Duo in solidum. ff. de Precario, ubi extendit hoc, etiam si utraque possessio sit justa, vel utraque injusta, vel una justa, altera injusta: cujus verba sunt: Duo in solidum precario habere non magis possunt, quàm duo in solidum vi possidere aut clam: nam neque justè neque injustè possessiones duæ concurrere non possunt, text. in cap. Licet causam, de probat. versic. Ex premissis, ibi: Cum duo in simul eandem rem & eodem modo in solidum possidere non possunt. Cujus ratio vera & subtilis est: quia fictio non potest habere locum super impossibili de natura in genere; text. in leg. Qui ad certum. ff. Locat. text. in leg. Adoptio la 1. ff. de Adoption. text. in leg. Lex Cornelia in fin. de Vulgar. & pupil. text. in §. Minorem Instir. de adop. notatur per Gloss. & DD. in leg. Gallus. §. Si ejus. ff. de Liber. & posth. & in leg. 3. ff. Pro socio, notatur etiam magistraliter per Bart. in leg. Si is qui pro emptore. ff. de Usucap. 9. column. 2. 1. & ibi repetentes, & in leg. Eadem. ff. de Duob. re. 1. column. & ibi communiter DD. in locis ubi supra: Sed possessio civilis retinetur in animo per fictionem, quia possessor juris fictione censetur esse in re, quia ibi fingitur esse corpus, ubi animus est: argumento text. in leg. Nihil. ff. de Cap. & post revers. & argumento text. in leg. Habet. §. Placet. ff. de Precar. ibi: Quia non decessit animo à possessione, similiter etiam naturalis possessio quam possessor habet in aliis partibus quibus corporaliter non insistit, vel naturalis possessio quam habet in tota re vel fundo, quando non est in ea, sed in conspectu, vel propè, non potest dici quòd retineatur naturaliter, sed per fictionem: ut subtiliter probat text. in leg. 3. in princip. ff. de Acquirend. possession. juncta ratione naturali: & ibi tenet & declarat singulariter solus Socinus, 3. column. 4. not. Ergo, sicut ipsamet actualis & corporalis detentatio, qua quis insistit rei, non potest esse penes plures in solidum secundum naturam, ita ipsa possessio naturalis vel

civilis, vel utraque, quæ tenetur per fictionem, & repræsentativè tantum, si quis insisteret in re, non potest esse penes plures in solidum: & in hoc se fundavit Jurisconsultus, in dict. §. Ex contrario, in quantum dicit, contra naturam quippe est, ut cum aliquid ego teneam, tu quoque id tenere videaris. Et in effectu istam rationem, licet non sic declaratam, ponit Rain. in dict. §. Ex contrario 2. column. num. 2. Bart. 3. column. num. 7. expressius, & clarius Albert. 2. column. in princip. versic. Tu dic. Angel. col. 1. num. 1. Imol. & Paul. de Castr. in princ. Roman. 1. col. in fin. Aretin. 1. column. & 1. not. qui hoc valde commendat: Cuman. ibi, 1. column. in princ. Alexand. 3. column. num. 4. Socin. 1. column. in princ. Jas. 4. column. num. 9. Vincent. notabiliter, 3. column. num. 5. Secunda ratio potest esse, propter repugnantiam & incompatibilitatem evitandam circa effectus producendos: nam si una & eadem possessio possit esse penes plures in solidum, sequeretur quòd uterque eorum posset præscribere eandem rem, & effici dominus in solidum, & similiter dominus fructuum in solidum, quod est impossibile de jure: ut in leg. Si certo. §. Si duobus vehiculum post princip. ff. Commod. & in leg. Hæreditate. §. Patre. ff. de Castren. pecul. & in leg. Mavius. §. Duobus de legat. 2. & in leg. Quod contra, §. unic. de regul. juris, & istam rationem voluit Gloss. magna in dict. §. Ex contrario prope fin. versic. Item secundum eos, & ibi DD.

Juxta prædicta tamen necessariò & utiliter 100 quæro, an & quando possessiones diversæ & realiter distinctæ possint esse penes plures personas? In quo articulo propono veram & generalem conclusionem. Quòd possessiones diversæ & realiter distinctæ bene possunt esse penes plures personas in solidum, scilicet, penes unum civilis, penes alium naturalis. Quæ conclusio probatur & verificatur in casibus, personis, & exemplis sequentibus: Nam si in fundo vel re immobili unus habet usumfructum, alius proprietatem; usufructuarius habet possessionem naturalem in ipsa re, proprietarius verò habet civilem: text. est in leg. Naturaliter. ff. de Acquirend. possess. cujus verba sunt: Naturaliter videtur possidere is qui usumfructum habet, & ibi Gloss. & communiter DD. text. in leg. Possessio quoque in princip. eodem titul. text. in leg. Cujuscumque. §. Si fundus. ff. de Usufruct. text. in leg. fin. ff. Uti possid. juncta Glossa & communi intellectu text. in leg. 2. §. Unde vi, & §. Uti frui. ff. de Vi & vi armat. text. in leg. Uti frui in fin. ff. Si usufructus petatur: text. in leg. Qui usumfructum eod. titul. Et idem est in habitatione domus; quia ille cui concessum

est jus habitationis, possidet domum naturaliter, tamquam usufructuarius ejus, argumento prædictorum jurium, & argumento text. in leg. Cum antiquitas, Cod. de Usufruct. & in specie ita tenet Paul. de Castr. in leg. Aquilius Regulus, in princip. ff. de Donat. ubi notabiliter declarat: Et idem est in usu; nam ille qui habet servitutem usus, possidet naturaliter ipsam rem, in qua habet usum: ita probat textus notabilis in leg. fin. ff. Uti possid. text. in leg. 3. §. Uti frui, versic. Item si non usufructus sed usus. ff. de Vi & vi armat. Cujus ratio est, quia usufructus est pars domini, ut in leg. 4. ff. de Usufruct. & ad hoc ut fructuarius liberè utatur, oportet esse naturaliter in ipsa re; unde meritò eam possidet naturaliter: proprietarius verò habet civilem possessionem ratione proprietatis domini: Et in effectu istam rationem ponit expressè Angel. in leg. 2. §. Unde vi. ff. de Vi & vi armat. Ex qua ratione inferitur, quòd secus est in aliis servitutibus & juribus incorporalibus, rusticis vel urbanis, continuis vel discontinuis; quia ratione earum illi, cui competunt tales servitutes, non habent aliquam possessionem naturalem in ipsa re, in qua est impositum jus servitutis, sed utraque possessio remanet penes dominum ejus.

Advertendum tamen singulariter, quòd talis usufructuarius & usuarius non solum habet possessionem naturalem in ipsamet re corporali, sed etiam habet quasi possessionem civilem & naturalem in ipso jure incorporali utendi & fruendi; quasi naturalem, per actus naturales quos exercet in recolligendis fructibus; quasi civilem, per retentionem illius juris in animo: ita probat textus singularis, juncta Glossa, in leg. Ait prator, §. 1. versic. Item ei. ff. Ex quibus caus. major. & ibi Bartol. Alb. Jac. de Rau. & DD. Antiqu. text. in leg. 3. Qui usufructus, in princip. ff. de Vi & vi armat. Quem ad hoc ponderat Angel. de Perus. probat etiam text. in leg. Quoties la 2. ff. de Servit. & in leg. Sicuti. §. Arist. in fin. ff. Si servitus vend. ubi habetur quòd pro jure servitutis competunt interdicta & remedia possessoria; ergo in eis datur possessio: & in expressò istam conclusionem tenet Glossa ordinaria in leg. Si plures. §. Dejectum. ff. de vi & armat. gloss. 2. expositiva, in quantum dicit: Ab usufructu qui est quasi possessor juris, & ad hoc etiam reputat ibi singularem Bartol. & Angel. de Perus. sentit etiam Gloss. in leg. fin. ff. Uti possid. in gloss. penult. in verb. Defendat. Istam etiam conclusionem tenet Bart. qui magistraliter loquitur, in leg. Naturaliter. ff. de Acquirend. possession. & ibi Joan. de Imol. Paul. Aretin. Socin. Alexand. & Jas. tenet etiam Alb. in leg. 3. §. Ex contrario, 1. column. in fin. eod.

titul. & ibi Imol. 2. column. in princ. Roman. 2. column. post princ. Aretin. 2. col. Alexand. 6. column. num. 10. Jas. 8. column. num. 30. licet contrarium velit ibi Bart. 2. column. istam etiam conclusionem tenet Paul. de Castr. qui notabiliter loquitur in leg. 1. eodem titul. penultim. column. versic. præterea advertite. Aretin. 10. column. numer. 27. Jas. 14. column. numer. 62. Vincent. 29. column. num. 68. Rip. 3. column. num. 34. licet contrarium teneat ibi Bart. 4. column. n. 9. Istam etiam conclusionem tenet Alber. in leg. Fructus. ff. de Rei vind. 4. column. post princip. idem Abb. in leg. Acquiritur. §. In fin. ff. de Acquirendo rerum dom. Cin. in leg. unic. Cod. Uti possid. 3. column. versic. Si vero sunt res incorporales. Alber. ibi, 3. column. in princ. Salycet. 3. column. num. 11. Cin. in leg. Competit. Cod. de Pres. 30. vel 40. annor. 2. column. 4. quest. Bald. in leg. Nemo, Cod. de Acquirend. possession. 2. column. post medium, & Angel. ibi 2. column. num. 5. idem Bald. in leg. Certum, Cod. de Rei vind. 1. column. num. 2. Paul. de Castr. notabiliter in leg. fin. Cod. de Longi tempor. præscr. 2. column. num. 6. Et adde notabiliter; quòd ista eadem conclusio habet locum in omnibus aliis servitutibus & juribus incorporalibus: quia licet in ipsamet re corporali, in qua servitus est imposita, non datur aliqua possessio; tamen bene datur quasi possessio civilis & naturalis in illo jure servitutis naturalis, dum quis est in exercitio ejus, civilis per retentionem illius juris in animo: ita apertè concludunt DD. in locis ubi supra; & in specie tenet Bald. in leg. Nemo, Cod. de Acquir. rer. posses. 2. column. post medium, vers. Modo, tenet etiam Bartol. in l. 1. ff. eodem titul. 4. column. num. 12. & ibi communiter Modern. ex qua quasi possessione causatur præscriptio in istis juribus, & similiter causantur & competunt interdicta & remedia possessoria. Et si subtiliter dicas: Si hoc ita est, quare non præscribitur servitus discontinua tempore legitimo & ordinario, sed immemoriali? vide in materia servitutum; quia est subtilis, & notabilis passus.

Similiter etiam, emphyteuta, qui recepit rem in emphyteusim, aliqua mercede præstita, habet possessionem naturalem in illa re; dominus verò directus, qui concessit, habet civilem: nam si talis emphyteuta habet jus in re, & sic utile dominium; ergo habet possessionem naturalem: ita probat text. in leg. 1. ff. Si ager veltig. vel emphyt. petat. & ibi Bart. & DD. Antiqui: & in expressò ita tenet Gloss. ordinaria in dict. leg. 3. §. Ex contrario, Gloss. magna in fin. & ibi Bartol. Imol. Paul. & communiter DD. tenet etiam Bart. in leg. 2. Cod. de Jure

emphyt. 2. *column. num.* 24. & post eum alii DD. tenet etiam Azor. *in summ. Cod. de Acquir. posses.* 4. *column. in princ.* Item etiam feudatarius, qui rem in feudum á domino accepit, habet possessionem naturalem; dominus verò habet civilem: & in expressò ita tenet Gloss. ordinaria, licet prædicta jura non alleget. *in dict. leg. 3. §. Ex contrario in gloss. magn. fin.* & ibi communiter DD. tenet etiam Azor. *in summa Cod. eod. tit. 4. column. in princ.* Item etiam superficiarius, qui accepit superficiem alicujus domus, soli, vel fundi, aliqua pensione præstita, possidet naturaliter, quia habet jus in re; dominus verò directus soli possidet civiliter: argumento text. *in leg. 1. §. Qui superficiem & per totum. ff. de superfic. & eorum, quæ ibi notant Bartol. & Antiqu. text. in leg. Superficiario. ff. de Rei vind. text. in leg. In provinciali. §. fin. de oper. novi num. text. in leg. Titius. §. fin. ff. de pig. act.* Item etiam colonus vel inquilinus, qui conduxit domum vel fundum ad longum tempus, (puta per decem annos, vel ultra) possidet naturaliter, quia videtur habere jus in re; dominus verò, qui rem locavit, possidet civiliter: argumento text. *in dict. leg. 1. ff. Si ager. vect. vel emphyt. petat. & in dict. leg. 1. §. Qui superficiem & §. Quod autem, el 1. ff. de Superficie. & in expressò ex isto fundamento istam conclusionem tenet Gloss. singularis in leg. Si ut certo. §. Si duobus vehiculum. ff. Commodat. in gloss. magn. in medio, versic. Et idem in eo colono & cat. Gloss. in leg. Si quis ante, in verb. Novissimè. ff. de Acquirend. posses. Azor. *in Summ. Cod. eod. titul. 4. column. in princ.* Paul. de Caltr. *in leg. Non solet. ff. Locat. Alexand. de Imol. ubi valdè commendat in dict. leg. 3. §. Ex contrario, supra, eod. 9. column. num. 20. Jas. ibi, 13. col. num. 48. idem. Jas. in leg. Naturaliter, supra, eodem 5. column. num. 15. Alexand. in dict. leg. Si quis ante, supra, isto titul. 4. column. n. 10. Socin. ibi, 4. column. Confirmatur etiam, quia tempus perpetuum dicitur etiam per decem annos: Gloss. est notabilis in leg. Nam imperator. ff. de Legit. & ibi DD. Unum tamen est, quòd in dictis casibus prædictæ personæ habent etiam quasi possessionem civilem & naturalem in illo jure reali: argumento eorum quæ supra dicta sunt in fructuario: & expressè ita dicit Imol. *in dict. §. Ex contrario, 2. column. in princ. & Jas. ibi, 12. column. num. 44.***

Item etiam ille, qui precariò concessit rem alteri, possidet & retinet sibi civilem possessionem; accipiens verò acquirit & habet possessionem naturalem; & hoc in dubio ex natura contractus, nisi aliud inter eos actum sit: text. est notabilis, *in leg. Et habet. §. fin. vers. Placet.*

*ff. de Precario, cujus verba sunt: Placet autem penes utrumque esse eum hominem qui precario datus esset, penes eum qui rogasset: quia possederat corpore, penes dominum, quia non decessit animo à possessione: & ibi Glossa ordinaria & communiter DD. text. in leg. 4. eod. titul. text. in leg. Qui precario, eod. tit. text. in dict. leg. 3. §. Ex contrario, vers. Sabinus. ff. de Acquirend. posses. cujus verba sunt: Sabinus tamen scribit eum qui precario dederit, & possidere ipsum, & eum, qui precario acceperit, & istam conclusionem tenet etiam Glossa ordinaria in leg. Pomponius. §. Si is qui precariò, eod. titul. & ibi communiter DD. Gloss. in leg. Si quis ante, eod. titul. & ibi communiter Scribentes. Dubium tamen est necessarium: Quæ possit esse ratio, per quam ex contractu precarii transeat possessio saltem naturalis, & ex contractu commodati, depositi, locationis, & simili nulla transeat possessio, sed utraque remaneat penes concedentem, ut *in leg. Rei commodata. ff. Commodat. leg. Licet, vers. Rei deposita. ff. Depositum, & in leg. Officium. ff. de Rei vind. cum simil?* Et dico, quòd ratio potest esse, quia in precario est fortius, & potentius jus in recipiente, quàm in commodato vel deposito: nam precarium fit ad usum incertum & interminatum, & similiter ad tempus interminatum, & in eo censetur major liberalitas ex parte concedentis, & major & amplior facultas utendi re, ut *in leg. 1. & per totum. ff. de Precar. & ultra hoc, ratione hujus incertitudinis censetur in dubio concessio perpetua donec revocetur, argumento text. in leg. Jurisperitos. ff. de Excus. tutor, juncta Gloss. & communi opinione in leg. fin. §. Praefinito. ff. de Pænis, text. in leg. Sufficit. ff. de Condit. indebit. & ibi Bart. & DD. text. in leg. Ambiguitatem, vers. Sin autem talis, Cod. de Usufruct. & argumento doctrinæ Bart. in leg. De Pupillo. §. Si quintis ipsi pratori, 3. column. n. 12. ff. de Novi. oper. nunt. & ibi Modern. Cin. Bald. & alii DD. *in leg. Quisquis, Cod. Si cert. petat. & Moderni. in leg. Principalibus. ff. Si cert. petat. ubi, illud quod est dispositum in officiali perpetuò, censetur dispositum in officiali ad beneplacitum, quia in dubio censetur perpetuus: & omne illud quod est perpetuum, censetur esse fortius & tribuit jus in re, ut *in leg. 1. §. Quod autem ait. ff. de Superf. unde ex precario meritò transit possessio: Sed commodatum conceditur ad certum usum, limitato tempore expressè, vel saltem tacitè, ut voluit Gloss. ordinaria, Bartol. & communiter DD. *in leg. 1. ff. de Pracar. voluit etiam magistraliter Bartol. in leg. In commodato. §. ult. ff. Commodat. & ibi DD. Bartol. Paul. & Modern. in leg. 2. ff. Si cert.*****

*cert. pet. Bald. & DD. in leg. Cod. Commendat. Et in effectu istam rationem, licet non sic declaratam & confirmatam, ponit Socin. dict. leg. 3. §. Ex contrario, 2. column. num. 12. Jas. ibi, 4. column. num. 12. Unum tamen est, quod licet precarium possit libere revocari secundum voluntatem concedentis, quia non est limitatus in eo certus usus & tempus; tamen, si concedens velit sine causa revocare cum damno alterius, & sine aliquo temporis intervallo, non posset, imò obstaret ei exceptio doli: ita singulariter determinat solus Abb. *in cap. fin. extrà, de precariis, fin. column. num. 13. & illud dictam sequitur & valdè commendat Alexand. in leg. Si panam, in fin. ff. de Verb. obligat. sequitur etiam & dicit fortè non alibi Jas. in §. sequent. Institut. de actio. §. column. num. 25.**

Item etiam, possessor qui se absentavit, retinet civilem possessionem in absentia; & si alter sit ingressus, habet & acquirit naturalem: text. est *in leg. Clam possidere. §. Qui ad nundinas. ff. de Acquir. posses. cum similib. de quo articulo latè supra dictum est. Imò, quod magis est, plures possessiones naturales vel plures civiles possunt esse penes plures & diversas personas in una & eadem re diverso jure & respectu; nam in fundo potest quis habere usumfructum, & ratione ejus habere naturalem possessionem, & in eodem fundo potest alius habere usum, & ratione ejus habere aliam possessionem naturalem: & eodem modo, si unus haberet usum in fundo vel re, & alius similiter haberet usum in eadem re, uterque haberet possessionem naturalem: quia hoc non est inconveniens; quia istæ possessiones sunt diversæ & differentes numero, quia una est respectu usufructus, alia respectu usus, & sic nulla contingit repugnantia vel impossibilitas: ita subtiliter probat text. *in leg. fin. ff. Uti possi. ubi habetur, quòd usufructuarius & usuarius possident in solidum eandem rem naturaliter, & utrique competit interdictum uti possidetis pro tuenda & conservanda sua possessione: & per illum text. ita tenet & declarat Bartol. *in dict. leg. 3. §. Ex contrario. ff. de Acquir. posses. 4. col. num. 10. Imol. fin. column. in fin. Rom. 2. col. in princ. Alexand. 12. column. num. 20. de quo tamen articulo, quia dubius & subtilis est, vide omninò ibi Modernos.***

101 Sed quia supra plenè & magistraliter visum est, qualiter possessio acquiratur; nunc oportet videre, qualiter possessio quæsita amittatur & perdat? In quo articulo procedo per veras & notabiles conclusiones, quas plenè & notabiliter intendo tractare & verificare. Prima conclusio: Utraque possessio, tam civilis, quàm naturalis,

jam quæsita in re immobili, semper retinetur quandiu possessor est in ipsa re vel in conspectu rei, vel prope ipsam rem, taliter quòd faciliter potest ingredi, licet non sit in ejus conspectu. Quod probatur sic: Facilius jura nostra conservamus, quàm acquirimus de novo: text. est *in leg. 1. §. Quod autem ait prator, nam cui damus. ff. de Superficie. text. in leg. Invitus, versic. 1. ff. de Regul. jur. text. in leg. 3. §. Bonorum. ibi: Retinendique. ff. de Bonorum possession. text. in leg. Papinianus. §. Si filius. ff. de Inoffic. testam. text. in leg. Patre furioso, versic. Nam furiosus. ff. de His qui sui vel alien. jur. ubi habetur, quòd licet furiosus non possit contrahere matrimonium, tamen bene potest illud retinere & conservare: text. *in leg. Si is qui anno. ff. de Acquirend. possession. text. in leg. Communis servus. §. Procurator, eod. titul. text. in leg. Arboribus, versic. Quid tamen. ff. de Usufruct. ubi habetur, quod quando sine mandato quis quærit possessionem nomine alterius, nulla quæritur sibi possessio ante ratihabitionem: tamen secus est, quando quis jam habet possessionem quæsitam, & alius nomine ejus habeat, teneat; vel utatur re; quia etiam ante ratihabitionem conservatur sibi possessio: & per illum textum ita tenet Aret. Socin. & Jas. *in leg. Generaliter. ff. de Acquirend. posses. textus notabilis in leg. Judex datus. ff. de Judic. juncta leg. Cum prator, eod. titul. ubi habetur, quòd licet furiosus non possit de novo creari judex, tamen bene potest conservare jurisdictionem semel acquisitam ante furiosum, licet non possit eam exercere: text. *in leg. Qui furore caput. ff. de statu homin. text. in leg. 1. §. Origo, vers. Quamvis. ff. de Postuland. Sed possessio naturalis acquiritur per ingressum rei, & sic per illum actum naturalem, ut *in leg. 1. & in leg. 3. & in leg. Quemadmodum. ff. de Acquirend. posses. & in leg. Nemo, Cod. eod. Item, possessio naturalis quæritur per aspectum rei, dato quòd acquirens in ea non intret vel ingreditur, ut *in dict. leg. 1. §. Si jusserim, & in dict. leg. Quod in eo. §. Venditorem, cum similib. Item, possessio naturalis quæritur per actum gestum prope ipsam rem, licet non fiat in conspectu rei, puta per traditionem clavium, ut *in l. Clavibus de contr. empt. Ergo à fortiori utraque possessio jam quæsita & producta in esse retinebitur & conservabitur. Et ex isto fundamento, licet non sic inducto, istam conclusionem tenet Gloss. notabilis ordinaria *in leg. 1. ff. de Acquir. posses. in gloss. 2. in m. d. vers. Sed quid si non est in conspectu, quam Gloss. & ejus conclusionem approbat ibi Bart. 2. column. in medio, vers. Unde, quarto loco, & c. dicens, quòd Glossa loquitur perfectissimè, cui nihil est ad-********